

AD ARTIC. LXXVIII.  
ARGUMENTUM.

*Ad petitionem Accusatoris, vel rei, vel etiam ex officio Judicis dies constituendus est certus, quo post conclusionem tandem de crimine ipso cognoscatur, & ita per justam sententiam causa criminalis decidatur.*

EXEGESIS.

**T**Ria hic sunt observanda. I. Quando accusator vel ex confessione rei incarcerati, vel ex dictis testium suam intentionem sufficienter deduxit, & ita in causa conclusit: Reus quoque omnia, quæ pro deducenda sua innocentia & defensione facere potuerunt, juxta morem Judicii proposuit, & similiter se sententiæ submitit; tum accusator potest petere, ut Judex diem certum constituat, quò tandem sententia juribus & actis conveniens pronuncietur, quâ reus vel absolvatur, vel etiam condemnetur. Et quoniam hæc petitio est justa, ideò eam Judex denegare non potest: juxta regulam: Justa petenti non est denegandus assensus, per l. 2 ff. de his qui sunt sui vel alieni Juris. l. 35. ff. de S. P. R.

II. Quando accusator constitutionem diei certi pro ferenda sententia petere omittit, vel quod reo mortis periculum immineat; vel quod in probatione defecerit, & ita pœnam calumniæ pertimescat; Tum reo illum petenti Judex deferre certum diem, in quo sententia ferenda sit, assignare debet; in talibus enim servanda est æqualitas inter reum & actorem, c. 1. de Sent. & rejudic. in 6. Gail. l. 1. Observ. 91. n. 14. p. 159.

III. Quod si verò neuter, neque Accusator neque Reus diem petat pro decidenda causa per sententiam, sanè tum ex officio Judex eum determinare, & hoc partibus significare tenetur. Ratio est, ne causa relinquatur indecisa, & Justitia reddatur elusoria. Frustra enim proceditur in aliqua causa, nisi ipsa tandem per legitimam sententiã definiatur & decidatur. Caveat tamen Judex ne diem sacrum, aut festivum, uti etiam est Dies Dominicus, constituat, c. nullus 15. quest. on. 4. talis namque dies debetur cultui sacro, in quo nullus actus Judicialis rectè expeditur, multò minus in causa capitali pronuncietur sententia. Equidem & tempore quadragesimali non licuit diem constituere ad cognoscendam causam criminalem, vel ferendam sententiam